



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Instrvctio Novitiorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniæ, Anno M.D.C.XIII

De obedientia. Cap. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48624)

20 Quicquid enim ad virtutes alias necessarias attine, quarum actus frequentiores, quàm nomina sunt, ad prædictas virtutes reducemus.

De paupertate verò quæ ad Beatitudines spectat, accurratè agendum est.

21 Vitia quoque contraria, & passiones eisdem ferè rationibus, quibus virtutes astruimus, conuellemus: at eum ordinem virtutum obseruabimus, quem vocationis, & renunciationis ordinis, & disciplinæ Monasticæ opportunitatem arbitramur. tamen si virtutum origo, & connexio, quam Theologi variè considerant, aliud exposcere fortasse videatur: ordo quippe debet utilitati seruire.

### De Obedientia.

#### Cap. VI.

1 Postquam de Theologicis virtutibus egimus, quibus animus hæret Deo, & quæ, cum vniuersis Christianis communes sint, à mundi contemptoribus debent religiosius coli: vocationi consonum erit, de illis virtutibus agere, quæ Monachum à cæteris Christianis ratione status excipiunt: vt iuxta rerum

rerum ordinem, quemadmodum, ad virtutes Theologicas, præcipueque charitatem perficiendam, in obedientia statum fratres assurgunt: sic illarum virtutum doctrinæ, Obedientiæ scriptio succedat.

2 Est autem obedientia (quod ad rem nostram spectat) virtus, qua superiorum Dei personam gerentium iussis obtemperamus; nimirum iustitiæ rationem habet, quæ ijs, qui præsumt, reddit quod suum est.

3 Habet præclarissima virtus hæc sublimitatē quasi Theologicam: etsi enim cum Deo proximè non agat: sic tamen agit cum ijs, qui pro Deo præsident, ac si cum Deo ipso versaretur.

4 Ex quo sanè incipit elucescere celestis ille obedientiæ splendor, qui cultores suos mirifice illustrat, & rebus humanis efficit altiores licet enim inter homines agant, modus tamen divinus, & cælestis intuitus est.

5 Quid enim sublimius mente concipi queat, quàm syncerissimus ille intuitus viri obedientis, qui nihil ratione humana metitur, quòd nimium brevis

F 3.

mensu-

mensura sit, sed ad perspicacit̄is cer-  
nendum à fide Theologica lumen mu-  
tuatur?

6 Quid honestius, quàm semper cū Deo  
versari, verba facere, animi sensa con-  
ferre? quādiu enim fidei oculus ille erga  
superiorem viget, tam diu cum Deo fi-  
delissimè agit? non enim magis hominis  
illius, qui fortasse præsidet, privatā per-  
sonam intuetur, quam si Maiestas ipsa  
diuina esset.

7 Quid pretiosius ea virtute, quæ vna  
cū sit, cæteras oēs indiuiduè sociatas in  
animum inducit, & perpetuo feedere  
seruat? nam præterquā quod quicquid  
præstatur, cuiuscunq; virtutis opus sit,  
cum ad obtemperandum Deo suscipi-  
tur, obedientiæ actus est. proprios etiam  
vniuersarum virtutum actus à superio-  
re impositos obit.

8 Quid verò iucundius, quā inter medi-  
os maris huius fluctus ita regi, vt ea sit  
norma obedientis, qua Deus actus suos  
dirigit, dum facit omnia secundum con-  
siliū voluntatis suæ?

9 Quæ conscientia securitas maior, quā  
in salutis grauissima causa seduci non  
posse? nequit. n. vlla impostura subesse,  
quam

*Nouitiorum.*

quamdiu quis obedientiæ consilio pa-  
ret.

10 Non moritur certè, neq; læditur vir  
obediens, què admodum Acatius ille o-  
bedientiæ deditissimus è sepulchro, in  
quo, nō animus, sed corpus cōditum e-  
rat, nō sine Patrum stupore, respondit.

11 Tāta profectò est bonorum vbertas,  
quam virtus hæc fecundissima parit, vt  
Patres, qui Monasticum institutum cō-  
diderunt, in hoc genere, nunquam finē  
dicendi faciant.

12 Et si. n. viri obediētes, quos hac ætate  
nostra quoque conspicimus, nō loque-  
rētur victorias, & ad Christianæ perfe-  
ctionis fastigium celerius hac via, quàm  
alijs properarent: ipsa certè ratio per-  
uinceret, virtutem hanc summo studio  
colendam.

14 Clemētissimus quippe Deus hoc cū  
viris obediētibus pacisci videtur, quod  
in originalis iustitiæ statu cum Protopa-  
rēte pepigerat: vt scilicet tamdiu ei pars  
inferior subesset, quamdiu pars superi-  
or ipsi Deo paruisset: obtemperāt qui-  
pe sensus obedientis menti Deo perse-  
ueranter adherenti, & calipacem deli-  
banti.

15 At licet multa obedientiæ præconijs cōgeramus, nihil propemodum honestate tanta dignum agemus: illud verò pro multis præconijs depromere possumus, quod à Iesu Christi D.N. auctoritate descendit.

16 Cum enim esset filius Dei, didicit ex ijs, quæ passus est, obedientiam: & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.

17 Qui ergo salutem æternam exoptat, virtutis huius appositis actibus acquirendæ rationem inire conentur, quam subiecto cernent exemplo.

## E X E M P L V M.

18 **M**ultifariam Patres de obedientia actibus egerunt: at ut methodice procedamus, ad capita duo, Intellectum videlicet, ac voluntatem mentem intendere opus est. Constat quippe in his duobus cardinibus omne obedientiæ opus verti, ut quis subdat voluntatē, quod minus perfectorum, ut subdat quoque intellectum, quod perfectorum est.

19 Plures enim vel appetitu reluciāte  
ve

vel etiã sine appetit<sup>o</sup> lucta, obedire didicerunt; at proprii iudicij censuram referuant, quã quod voluntate tandẽ amplectuntur, intellectu nõ probant: quorum virtus imperfecta est: quamuis. n. iudicent eum, qui præcipit, esse superiorem, cui omnino parendum sit; se tamẽ iudicant prudentiores.

20 Perfecti autẽ obedientis est, ita parere, vt iudicet, quod præcipitur, esse opportunissimum: non modo, cum rei cõgruitas apparet, sed cum nihil rationi consentaneum repræsentatur, quod nõ agrẽ fratres nostri præstabũt, si attente cõsiderent, multa superioribus patere, quæ subditos latent; & insignis temeritatis esse, sine perspectis rei circumstantijs latentibus, rem, quæ ex illis honesta esse potest, improbare: præterquã quod exploratum est superiores à Deo vberius, illustrari & secretis modis ad subditorum examẽ [profectumq] moueri: quale igitur infipiëtix genus erit, subditum eo lumine destitutum de ijs, quæ ignorat, velle ferre iudicium?

21 Sed quod ad obediendi genera spectat, vulgatam illam distinctionem præ-

oculis habeant; aliud scilicet esse, quicquid  
quã cum obediẽtia, aliud, ex obediẽtia  
præstare: illud. n. accidit, cum subditus  
primũ aliquid postulat, hoc verò, cum  
motu primo, & proprio superioris  
quippiam iniungit.

22 Sed illud nõ eximit subditũ à culpa  
hoc verò, nisi corrumpatur omni culpa  
vacat, quod sic patet. Petit quis librum,  
vestem, lucernam, vel simile quippiam.  
superior annuit, ac proinde actus cũ o-  
bedientia efficitur: sed obedientia hæc  
actum minimẽ honestat, si honestate car-  
rebat: verũ in proprio genere relinquitur  
potest quippe actus ille petendi bonus  
esse, si necessitas subsit, malus, si secus.

Quod verò actus ille non decoretur  
superioris cõniuentia, inde liquet, quod  
plerumq; superior subditi postulanti  
imperfectionem dignoscens, peiora vi-  
tans, rem indulget: vbi superior prudẽ-  
ter, subditus imprudenter agit.

23 Cæterum, cum res ex obediẽtia præ-  
statur, ex ipsa illius actus natura, malum  
obrepere nequit: suboritur tamẽ inter-  
dum ex subditi vitio, quapropter dictũ  
est, non latere imperfectionem, nisi actus  
corrumpatur.



corrumpatur. Corruptur quippe voluntatis abusu dum rem a superiore iniunctā, ideo subditus libenter amplectitur, quia genio proprio consona est, ægre illam peracturus, si parum genio congrueret.

24. Sunt & aliæ obediētix circumstātię, siue modi, ab hilaritate, ab expeditione, siue promptitudine nonnunquā, n. subditus voluntate, ac intellectu obtemperat; vult quippe, ac expedire iudicat: sed appetitus sensitivus legi mentis infestus tristitię passione decumbit, vel alijs modis indecoris agitur, ac animum prægrauat: vnde subit torpor quidam, qui subditum ab obediētix executione retardat: quem à veris obediētibus depelli, opus est.

25. Denique quicquid animum à puro Dei per superiorē loquentis intuitu diuertit; vt aliud quàm parere Deo, propter ipsū Deū, exquirat, obediētix corruptela est. Si vero nihil nisi vnus Dei beneplacitū spectetur, siue cū Deus per superiorē præcipit, siue cū proximè inspirat, siue p̄spera, vel aduersa disponit, purissimus obediētix gradus est, quem

sancti resignationem appellât. His ergo  
perpensis, expurgato corde, sic obedi-  
tiae actus exercendi sunt.

## ACTVS INTERNI.

26. **C**lemētissime Deus, postquàm per  
Superiorem mihi tuum benepla-  
citum significas, firmissimè constituo,  
ei, quasi tibi parère.

Profectò sapientissime Domine, quã-  
uis Superior homo agrestis, & ignarus  
esset; quicquid mihi diceret, quasi cele-  
stia oracula susciperem.

Profiteor, Domine, Superiorè meum,  
propterte, veneratione dignissimum  
esse, ac propterea me totum illi libentis-  
simè subdo.

Certissimum est, Domine, Superiorè  
mihi, quasi Deum esse, aliam ergò sapien-  
tiam, vel eruditionem minimè requirã.

Sanè tametsi videretur carnis oculis  
meis superior meus stulte loqui, verba  
vite me audire putarem.

Eo certè modo, fidelissime Domine,  
quo tibi obedirem, si te corporeis oculis  
cernerem, Superiori meo parebo.

Absit à me Domine, vt improbè quod  
Superior meus probat.

Huius

Huiusmodi actus saluberrimi sunt: sed de actibus externis non nihil adijciendum est.

ACTVS EXTERNI.

27 **Q**uamuis, vt diximus, actus impositi, quã petiti meliores sint: sunt tamen actus nonnulli, quos postulare, quã expectare perfecti<sup>o</sup> est: cuiusmodi sunt carnis maceratio, & opera laboriosa, quã Superiores, ex prudentia, & charitate subditis imponere detrectãt. Veri quippe obediens non modo expressã, sed tacitã quoque Superioris voluntati, quã prãsagiunt, celeriter occurrunt, aiẽtes; Ecce ego, mitte me.

28. Cum ergo, quid Superioris proprio motu, vel ex laboriosis, à subdito postulã exerceri debet, alacritas adfit, & quã perfecte possit peragatur.

29 Hic annotandum, ex appetitu sensitivo arduitatẽ metuente acediam surrepere: ac ipsam rerum difficultatẽ falso exaggerari: quam obrẽ ne credatur timori, sed fidei, quã ait: neminem à Deo supra vires vexari.

30. At vnũ inter omnia excellentissimũ, de.

debitum Obedientiæ, propriæ videlicet conscientiæ ratione Superioribus fratres nostri reddant, adeo ut nihil profus, siue prosperum, siue aduersum cellare audeant: licet. n. erga oēs veritatem, ac simplicitate absq; omni simulationis imagine colere debeant: duplices enim animi nequeunt esse Virginis filij: at erga Superiorem exactius debent esse veraces. Certoq; sibi persuadeant, hoc vno consilio, se laqueos omnes vitare, bonum omne parare posse.

31 Noxia erubescētia procul absit, procul timor, procul humanæ rationes; tamen si quæ aperienda sunt graues, & ipsi quoq; Superioribus contrariæ tentationes sint: tantum. n. abest, ut inde amor decreascit, vel alia damna exoriantur: ut Angelus satanæ, qui rei utilitatem nouit, & pertimescit, nihil subtilius curet, quàm specie virtutis, si timore nequeat, subditos ab hac fidelitate diuertere.

32 At verus Obediens, tam debet esse constans, & Superiori suo fidelis, ut non ipsi vni, sed toti etiã vrbi, ad illius nutū, nō culpas leues tantum, sed turpiora, si  
quæ

quæ in sæculo admittit, peccata reuelet.  
 Hoc autem, & ardua quæuis alia vincet,  
 si Superiorem quasi Deum ipsum, intu-  
 eatur; quod est inter Obedientiæ docu-  
 menta laudatissimum. Hinc enim exo-  
 ritur amor, & reuerentia, hæc vt non re-  
 sistat, ille vt rem celerius exequatur: co-  
 lumnæ duæ sunt, quæ statum nostrum  
 sustulciant: quas fratribus nostris  
 summopere commendamus.

33 Verum ad tertiam capituli partem ve-  
 niamus, & animis, ad Obedientiæ cultum  
 incitandis, & vitijs, seu passionibus, quæ  
 obstant elidendis opportunas rationes  
 depromamus.

34 Princeps hominis pars intellectu, ac  
 voluntate constans, per Obedentiam  
 sacrificatur: vnde nobilissimum, ac Deo  
 suauissimum holocaustum esse, nemo  
 inficiari potest: at est arduum; & quo res  
 nobilior est, & ad eam ex naturæ cor-  
 ruptione homo pronior, eo imminet  
 ad eam abnegandam difficultas ma-  
 ior.

35 Sed quanto maior difficultas mundi  
 sectatoribus incumbit: qui pro modica  
 mercede interdum, quandoque sine  
 pretio,

pretio vlllo, Principibus ad nutum sine somno, sine honore, sine pace, sollicite, exacte, diu famulantur ; & postquam longa seruitute consenuerunt, in Xenodochiis intereunt, & fortasse in Tartarum detruduntur?

36 Quanto ergo cōsultius, sit humanissimo Principi, & amantissimo Patri non sine spe mercedis immensæ, filiorum more obtemperando principari?

37 Deinde inter omnia, quæ ab hominibus magnificantur, sunt Senatuscōsulta, & Prudentū responsa. videreq; licet Reges terrarū de grauissimis negotijs anxios, quod nesciāt quid fieri expediat, & si errēt, regnorum interitū pertimescāt: quàm ergo pretiosum esse debeat fratribus nostris de grauissima salucis, vel mortis æternæ causa sollicitis, in prōptu habere ad actus singulos Dei per Superiorem respondētis oracula, a deo fidelia, vt seduci nō possint obtemperātes, licet, aliqua ex fragilitate, Superior deciperetur? Profecto ratio hæc labores omnes Obedientiæ gratia susceptos bene compensat.

38 Præterea, quamuis quisq; fratrum prudent-

dentissimus esset, suiq; posset esse custos, multo est honorificentius Deū eo singulari modo, quo cæteri Christiani carent, pædagogum habere, ac ab eo, per sublimiorē quandam duci viam, quam ipse seorsum, licet vir sanctus foret, carere nequiret. Perspectum est enim, eū operandi modū, qui propria voluntate à sanctis quoq; viris exercetur, ad illius modi, qui Obedientiæ proprius est, altitudinem non posse pertingere: quam ergo libenter eos, qui grandia cogitant, Obedientiæ se dedere par sit?

39. Iam verò cum quis tērationibus vrgetur, & quasi mentis inops agitatur cōpertum est, appositissimū habere remedium, si vsq; in exilio vitæ huius inueniri possit: nam præter lumen celeste, quod propter fideles subditos Superiori etiam indigno Deus infundit, præstat quoque tenerrimum affectum, vt eo ipso, quo subditum vexari nouerit, peculiari cura illi ad bonū spirituale, & corporale prospiciat. Cur ergo Superiori, quem corde materno Deus erga subditos afficit, non exactissime pareatur? aut quæ tentamenta hoc antidoto non depellantur?

40. Cer-

40 Certè nō solum à S̄ctorum, qui Superiores suos ardentissime dilexerunt, disciplina, sed ab hominum natura longissime distat, qui Obedientię virtutem non studiosissime colit: habet enim, in homine vno Dei Vices gerēte, quicquid ad honorem, solatium, & commodum attinet: quibus profecto bonis cor hominis trahi, planissimum est.

Verumtamen licet nulla subesset ratio, quæ virtutis huius amorē persuaderet vna Iesu Christi exēplaris nostri auctoritas corda omnia subiugare deberet; Ipse quippe mitissimo corde obediuit matri & ei, qui putabatur pater: Erat. n. subditus illis: & ab vtero matris ad mortem vsq; ab eius virtutis cultura nō recessit, sicut scriptum est: Factus est obediens vsque ad mortem mortē autē Crucis; quo nil legitur mirabilius.

41 Adæ inobedientiam bene pensavit, vt per hoc pateat, primi peccati dāna, Obedientię cultu refarciri: quam sane doctrinam qui non amplectitur, se Christi non esse, facile demonstrat. Optēperent alij mundi præceptoribus, vt discant, ducibus, vt prudentia militari ditescant, naucler.



nauleris, ut corporali vitam à naufragio seruent: nobis & Præceptor, & ductor, & nauclerus non alius, quàm Clementissimus Deus sit, cuius altaribus cordium nostrorum, secundum exemplar, quod nobis in Caluarie monte ostensum est, Obedientie sacrificium vespertinum immolemus.

41 Hæc est via, quæ ducit ad vitam, et si ad mortem tendere videatur: via militaris est nullis erroribus obnoxia, & exitu felicissimo clausa. Deducit. n. dulcissimus Deus, sicut oves populum suum, non ut olim in manu Moyse, & Aaron; sed in manu Unigeniti filij sui.

Præest sane Obedientie Magister sapientissimus in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis. Circumducit gementem suam, & docet, & custodit, quasi pupillam oculi tui.

42 Hæc sunt ebedientium privilegia, quibus claustra gaudent: quibus soli filij alieni, qui claudicauerunt ab utero, carent, ob infidelitatem suam: & merito quidem, quoniam quasi peccatum arolandi est repugnare; & quasi scelus idolatriæ nolle acquiescere.

43 Cum

34 Cum ergo fratres nostri, qui Christum discere cupiunt, Superiores suos, quasi Deum ipsum amore, ac reuerentia singulari prosequi, & ad illorū præscriptum, non tantum opera, sed verba, & quoad fieri potest cogitationes quoque metiri: vt postquam instituti nostri cursum Obedientissimo Dei filio similes hac fide confecerint, immensa præmij cœlestis fœlicitate latentur.

## De Castitate.

## Caput. VII.

**C**astitas, (quoad rem nostram attinet) est virtus, quæ carnis concupiscentiã moderatur, & illicitas voluptates excludit.

2 Virtutis huius, Angelicæ dignitas planè cœlestis est, cui tribuitur peculiari iue pulchritudo.

3 Præstat quippe homini (quod à carnis concreione longissime distat) Angelicam videlicet honestatem, & metis sublimitatem; quæ cœlestes procul dubio dotes sunt.

4 Ex quibus non obscure cerni potest, quàm virtus hæc hominem illustret, qui supra naturam elatus, cœlestem

quæ